





25

VTRVM ET QVATENVS FORI NOSTRI  
VSVS IN PVNIENDIS SVBDITORVM TEM-  
PORARIORVM DELICTIS, SI QVAE APVD NOS  
COMMISERINT, CVM PRINCIPIIS IVRIS CRI-  
MINALIS VNIVERSALIS CONVENIAT,  
NEC NE?

39

1793. 9

---

ILLVSTRIS - IVRECONSULTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE

P R A E S I D E

D. CHRISTOPH. CAROLO  
STVEBEL

DIE XXV. JANVARII CIOCCXCIII.

H. L. Q. C.

PUBLICE DISCVTIET

AVCTOR

FRIDERICVS AVGVSTVS VOLDEMAR IACOBI  
NEOSTADIENSIS AD ORILAM,

---

WITTEBERGAE,

LITTERIS ADAMI CHRISTIANI CHARISII.

ATRUM ET QAVENAS FORI NOSTRI  
VAS IN PANEINDIS SAPDITORVM TITI  
TQARRIORVM DPLITAE, SI GAVE VPAE nos  
COMMISSRINT; CAMPINCIPIS IARS CTR  
MINATIS UNIVERSALIS CONVENTAT,  
NFC NIS

ITALIAE LVRCONSVLTVRVM ORDINIS  
VACATORIATÆ

D. CHRISTOPH. CAROLO  
STYBER

ME XXV IUNIARII CIVICIS  
M. E. G. E.  
PARICE DISCATA  
ACTOB  
LUDERICAS VAGASTAS VOLDEMARIACON  
M. S. M. S. M. S.

WILTEBREGEL  
ELITELIS 1691. EDITIONIS CHARTARIE

V I R O  
SVMMO PIETATIS CVLTV PROSEQVENDO  
P A T R I  
IMMORTALITER DE ME MERITO  
FRIDER. IHENR. VOLDEMAR  
IA CO BI  
ACTORI CIRCULI NEOSTADIENSIS

S A C R V M.

V I R O

S A U M O D P E R T A T S C A R T A T R O S S O A N D S

P A T R I

I M M O R T A L I T E R D E M E M E R I T O

F R I D E R I C H E N R I C H V O L D E M A R

J A C O B I

A C T O R I C I L C A L I N F O S T A D I N E R I S

S A C R A M

*PATER DEVENERANDE!*

*D*ubia mentis ratio, qua nonnulli de committenda  
scriptorum suorum Maecenati cuidam tutela premuntur,  
me propterea non vexabat, quod aliae permultae eaeque  
graues mihi suberant causae, cur huncce libellum ad TE  
conscriberem. Benefiorum enim abs TE in me collato-  
rum multitudo tanta est, ut certo mihi persuadere pos-  
sim, qui de me ita ac TV promereatur, fore neminem.  
Iam cum effeceris, vt non grata solum vitae commoda

*A 3*

*perci-*

percipiam, verum etiam me bonis artibus excolendum cu-  
raveris, et adhuc studiorum meorum rationem summa  
ope adiuues: insigni tuae benignitati, ne indigni benefi-  
ciis notam subire videar, grati animi indicium exhiben-  
dum esse censeo. Hanc igitur dissertationem fructuum  
quippe studiorum, quos iure tuo repetere potes, partem  
accipere, meque in posterum tuo prosequi amore velis, et  
iam atque etiam rogat.

AT haec modis etiam tibi regimur hanc enim causam

TVVS

studiorum, aut ut et sibi misere merciorum.

WITTEBERGAE,

XXI. JAN. CCCCXCVIII. Otra te. Apud ultimum obituarii tam

mentimentum vestrum, ministrorum ut an filius obseruantissimus.

obituarii vestro male diximus non te.

Si



**S**i late patentem iurisprudentiae perlustrantes campum varios, quibus singulæ illius regiones definiantur limites indagare conamur; dubii vel maxime haeremus, quemnam disciplina in cognoscendis puniendisque versans delictis ambitum complectatur. Huius rei grauitas e magno, quod plectendi ius in rem publicam habet, momento deduci posse videtur. Iam cum omnis omnino ciuitatis in legitima castigandi ratione nitatur salus, summam legislator dare debet operam, ne inique amplificando iuris in delinquentes animaduertendi fines, plus iusto singulorum ciuium libertatem \*) coerceat, id est, ne legem villam poenalem ferat, quam finis securitatis reipublicae necessario non desideret. Quod quo

\*) Haec ea est ciuium conditio, qua omnia a summa potestate eorum arbitrio relinquuntur, que ad consequendum ciuitatis finem proxime non pertinent.



quo facilius exequatur, eum praecaram, quae ab VLFIANO traditur, regulam: iurisconsultorum esse, non solum metu poenarum ciues bonos efficere, verum etiam praemiorum exhortatione,<sup>b)</sup> meminisse iunabit. Huius scilicet praecepti bene memor pertinentes ad libertatem ciuilem actiones ita in totius reipublicae salutem diriget, ut derelicta mala minandi via, ciues ad praestandum suae voluntati obsequium praemii alliciat. Atque his opus esse mihi videtur, si quidam commodi ciuilis immemores caelibi vtantur vita, vel si reipublicae moderator velit, ut ciues flagrant litterarum artiumque colendarum studio rapiantur. Praeterea quoque cum ad augendum tum ad minuendum societatis ciuilis commodum constituti iuris puniendi termini multum valent. Quodsi grauitatis, qua poenae gaudent, rationem habueris, haud difficile erit intellectu, nimis seuerum pariter atque lenem in malefacta animaduertendi modum emolumento ciuitatis aduersari. Nam quaevis in se spectata malum continet poena, adeoque impediri non potest, quo minus illa nocenti inferens malum eodem et societatem ipsam quadam saltē ex parte afficiat. Quod tamen, tanquam minoris incommodi onus ciuitas subire non dubitat, quo maius e delicto quodam in eam redundans malum auertatur. Omnis vero poenarum negligeretur scopus, maximumque respublika detrimentum caperet, si malum, quod poena per se ciuitati adserit, declinandum istud, quod ex crimine nascitur, exsuperet. Itaque licet minimum, efficax tamen ad deterrendos ab actione illicitā ciues poenae semper insit malum necesse est. Eadem enim tum inter leges ferentem et rempublicam ac inter medicum et aegrotantem, cuius, nimia ab illo perhibita medice

<sup>a)</sup> I. 1. §. 1. π, de iustitia et iure.

cinae copia, deterior redderetur status, ratio intercederet. E contrario malum poenae ita, ut veram horroris incutiendi exserat vim, extendere licet. Neque tamen quis sibi persuadeat, vlla vnam poena scelus quoddam e ciuitate exulem posse iuberi. Huius rei veritatem exinde probandam esse puto, quod non talis poenae cuiusdam deprehendatur conditio, qua omnia ciuitatis membra eadem communere ratione possit. Attamen si iusto leuiores sanctae fuerint poenae, quarum incommoda perpetrandorum delictorum propter sperandam ex his utilitatem incitamenta vincere, ideoque ciues a legibus violentis auocare non possint, summo ciuitatis securitas periculo exponeretur. Quae quidem de gravi poenas recte constituent molimine animo considerans, quaenam praecepue in peregrina ciuitate commorantibus, si ibi peccent, infligenda sit noxa, inquirendi cupidine adducebar. Quoniam vero, teste CICERONE, non a ciuilibus legibus, sed penitus ex intima philosophia haurienda est iurisprudentia, an quod usus fori de peregrino in nostris terris crimen ~~admittitur~~ praecepit, cum philosophicis leges poenales ferendi principiis conciliari queat, inuestigare studebo.

*admittente*

§. I.

*Quoniam delictum et poena hic gaudeant significatu?*

Delicti aequae ac poenae varia quidem, sed minus recte determinata huc illuc deprehenditur notio. Si latissimum vocis prioris species sensum, ista iuris cogendi laesio-nem designat. Quicunque igitur vel faciendo vel omissendo, quae ciuitatis cuiusdam leges vel prohibeant vel iubent, negligit, criminis reus esse censetur. Quemadmodum vero in vnaquaque ciuitatis forma diuersi generis extant leges, ita

B

et



et multiplicem has violandi modum discerni fas est. Quod ad leges ipsas attinet, eae sunt vel *civiles*, vel *criminales*, vel *politiae*. De vero autem, quod inter allatas legum species intercedat, discriminis et disceptatum fuit, et adhuc sub iudice lis est. Qua quidem de re si meam qualecumque latius prodere vellem sententiam, praescriptum dissertationi meae spatium egrederer. Triplicem igitur legum vim, qua delicti in primis fundetur significatio, breuiter modo exponere licet. Secundum propriam iureconsultis loquendi rationem leges civiles ea denotant praescripta, quae iura et obligationes singulorum definiunt, neque ad summam in republica potestatem proxime referuntur. Eiusmodi leges non iuribus solum, quae membro ciuitatis, spectata eius priuata conditio ne, competere possunt, conseruandis, sed et adquirendis, inserviunt. Iurium vero, quae ciues iam possident, habito respectu, ea legum ciuilium ope contra indirectam violationem, quae in llicitis negotiis v. c. conuentionibus et commercio, obuenire potest, secura reddi perspicimus. Huc pertinet magistratus auctoritate, si coram eo in iudicio agere luet, omnibus data ius suum perseguendi copia. At lex criminalis est perhibita a summo imperante norma, qua immediatam (vel a singulis, vel a tota ciuitate, tanquam persona mystica) iuris possesse priuationem prohibet ita, ut ciuum ab ea absterrendorum gratia ingratum quid delinquenti comminetur. Leges igitur criminales iura nobis iam propria eorumque immediatam tantum laesionem respiciunt. Immediata verò iurium nostrorum habetur laesio, quae non adhibito opere licito, sed illegitimo, sive simulato sive furtivo sive vehementi modo agendi perficitur. Inde diuersae delictorum species, quae falsorum, furtorum, et illicitae violentiae nominibus insigniuntur. Leges tandem politiae sunt regulae, quae ab eo,

eo, cuius summa in republica est auctoritas, ad augendam  
 totius societatis ciuilis salutem, quatenus haec ad proposi-  
 tum securitatis finem facit, constituuntur. Multifariae autem,  
 quas enumerauimus leges efficiunt, vt totidem quoque deli-  
 citorum reperiantur formae. Prout igitur quis vel ciuili, vel  
 criminali, vel politicae non obsecutus est legi, criminis, quod  
 ab una ex illis nomen habet, damnatur. Altera eaque an-  
 gustior et vulgaris criminis notio contrarium et criminali et  
 politicae legi factum continet. Quod vt probetur, nostrum  
 ius criminale, in quo complura contra politiam occurunt  
 delicta, testis est. Omnium maxime vero restricta criminis  
 potestas voluntariam legis criminalis laesionem solummodo  
 denotat. Atque pro varia, quam de lege criminali et poli-  
 tiae fouemus, idea, vtraque lex diuerso quoque delicto vio-  
 latur. Cum in decidenda vero nostra quaestione vsum lo-  
 quendi obseruare teneamus, crimen hic ita, vt vel ipsius cri-  
 minalis vel politiae legis laesionem significet, usurpatum.  
 Par-  
 ri modo poena nobis hocce in contextu est malum, quod  
 ex legislatoris voluntate prohibitam necessario sequitur actio-  
 nem, quo recentior et grauior huius omittendae terrorisque  
 excitandi adsit ratio. Iure quidem naturali societatisque con-  
 tractu multae extant causae, quae factis quibusdam vel fa-  
 uent vel repugnant. Iam cum non omnium, qui sociali te-  
 nentur vinculo, eadem de suis officiis iudicandi iisque obse-  
 quendi sit facultas, ciuitas efficacioribus remediis membra sua  
 a malefactis ad recte facta deducat necesse est. Noua igitur  
 et validiora incitamenta, quibus ciues ad obseruandam offi-  
 ciorum religionem pariter atque euitandam legum violatio-  
 nem commoueantur, ita debent esse comparata, vt et in eum,  
 qui sensibus ducitur, et rationi obtemperantem eandem vim  
 exhibeant.

§. 2.

*Vniuersalia iuris puniendi principia et explorantur  
et deciduntur.*

Iam primum discutienda quaestio, vtrum poenas statuendi infligendique potestas e iure naturae, an e sociali demum pacto repeti debeat. Qua quidem de re quicquid alii dicant, verius tamen videtur, summae potestati competentem puniendi facultatem primam iuri naturae debere originem. Illa ipsa vero alios, si nos nostraque laedere conentur, secundum necessitatis rationem arcendi iure innititur. Hoc autem vnicuique in periculo versanti a iure naturae tributum, eiusque exercendi licentiam pacto sociali in ciuitatis moderatorem translatam esse praesumimus. Sed opus est, vt hanc nostram sententiam paulo vberius explicemus. In iure naturae scilicet quiuis primum impedire alios vi potest, quo minus suscepit ad turbanda eius iura actionem perficiant. Quodsi deinde quis praevideat, alterum ei machinari iniuriam, id quod ex iam accepta laesione colligi bene potest, illi viam, qua in posterum ab insidiis securus euadat, munire licet. Atque hoc vltimum quibusuis, quae necessariam praestare securitatem videntur, remedii peragi ita potest, vt iniuriam perpessus auctori istius inuitio ingratum quid afferat. De quo si inter nos conuenerit, certum quoque est, hoc singularis laefis in statu naturae competens iuris cogendi genus simul quoque deterrendi alios ab iniustis actionibus remedio contineri. Quod quidem ipsum si in societate ciuili ab imperante exercetur, poenam vocamus. Hac igitur cogendi potestate cum ciuitatis caput tanquam iure puniendi vtatur, id ipsum e iuris naturae praeceptis deriuandum, postea vero tanquam subsidium securitatis finem consequendi societatis ciuilis

ciuilis mente et conditione in nonnullis immutatum amplificatumque esse crediderim. Veluti, vt haec tantum afferam, singuli extra ciuitatem, accepta iam iniuria, ad propriam securitatem consequendam laudatum a nobis ius erga iniustum aggressorem reddendis malis tanquam deterrendi a laesione modo exercent. At in societate ciuili is, penes quem summa est potestas, illa facultate vi socialis contractus omnium membrorum nomine ad praefandam iisdem securitatem utitur ita, vt, priusquam quis laesus fuerit, quale vnamquamque iniuriam sequatur malum, declarat. Atque hoc quidem malum debet esse eiusmodi, vt non hunc et illum, sed omnes parimodo percellat. Quo fit, vt hac sola professione hisque minis omnes omnium causa, nemine antea laeso, ab illicitis actionibus auocentur securitasque vniuersa procuretur. Quibus praemissis, operae pretium videtur, disquirere, quod, quantumque malum laesus aduersario, cuius artibus ne deterior illius fiat conditio, secundum iuris naturalis placita inferre possit. Quemadmodum igitur in vniuersum eadem inter leges positivas et naturales ac inter subsidia et finem intercedit ratio, ita speciatim quoque poenarum, quatenus e sociali contractu explicandae sunt, et iuris cogendi securitatis causa competentis eadem ac subsidiorum et finis est conditio. Quisnam vero hancce rem decidere, quaeque obseruari debeat norma, videamus. Si quis status naturalis considerauerit indolem, in isto neminem esse, qui duorum lites componat, intelliget. Nam cum omnes, quibus naturalis contigit libertas, iisdem exstructi sint iuribus, in regula nullus hoc sibi sumere potest, vt alienis se immiscens negotiis quorundam agendi restringet arbitrium. Quapropter prae ceteris iudicandi eminens acumine ceterorum, qui naturali sorte vtuntur, iura dirigere prohibetur. Simulac vero

B 3

quis



quis iurium suorum rationem agnoscit, nullo eius, quod alii  
hac de re sentiant, habito respectu, illa exercendi habet co-  
piam. Ex his fluit, non laudenti, sed laeso defensionis vias,  
quae timorem iniiciant, eligendi esse licentiam. Sed ut al-  
tera eruatur quaestio, regulas, quibus iniuria lacesitus mo-  
rem gerere teneatur, constituamus. Scilicet hic ea lege ad  
deterrendi confugere potest remedia, ne horum vnu exsue-  
rans totius utilitatem noxa oriatur. Quid vero hic colli-  
dente nostra cum aliorum salute suaseris? Profecto, si tale  
quid accidat, meum alterius utilitati commodum praetule-  
rim. Idque propterea, quod in iis causis, vbi mea cum alio-  
rum iuribus adeo pugnant, ut simul obtineri non possint,  
haec illis in regula postponenda sunt, neque se defendens  
perfecta aggressoris fortunam adaugendi obligatione compel-  
latur. Vtrum igitur hic et ille laudentem arcendi modus ma-  
gis ex huius re sit, nec ne, mihi perpendere non incumbit.  
Quare, nulla laidentis habita ratione, iniuriam expertus ea se  
legit remedia, quae suae securitatis fini maxime adspirunt, li-  
cet prae aliis laidenti obsint. Quamuis enim laesio perfectum  
defendendi tribuat ius, laedens tamen ab eo, quem adgres-  
sus est, vt suum non anteferat bonum, postulandi iure desti-  
tutitur. Eadem vero adipiscitur iura, apud quem summum  
in republica est imperium, atque iisdem, quae ex sociali  
contractu descendit, puniendi facultas, limitibus definienda.  
Tantum enim abest, vt hominum, qui ciuitatis formam con-  
detur, se ipsi defendendi ius per se circumscriptum, im-  
minuatur, vt in priori potius ambitu iunctis complurium  
ad finem eundem viribus in tuto magis collocetur. Cae-  
terum ciuitas tanquam persona mystica de iisdem iuribus  
aduersus iniustos aggressores, quae extra illum locum ha-  
bent, laetatur.

§. 3.

*Tradita iam principia rationi, quae inter ciuitatem et  
cives temporarios intercedit, accommodantur.*

Iuri puniendi explicando, eiusque finibus determinandis operam eo consilio impendi, quo expeditior ad reperiendum id, quod in puniendis peregrinis obseruari debeat, mihi pateret aditus. Nam ciuitas laesi atque ideo ius obtinentis, ciuius temporarius autem, qui deliquit, laedentis personam induere videtur. Neque igitur dubium est, quin propria singulis in statu naturae violatis iura etiam ciuitas contra quenlibet ipsius securitatem turbantem exercere possit. Attamen ciuitas eo statui naturae praefstat, quod uti potestate, ita etiam defendendi remediorum varietate et multitudine semper praeualeat. Etenim ciuitas tanta vi tantisque abundantia subsidiis, ut ipsius voluntati resistens membrum semper coercere possit. E contrario autem laesus in statu naturae non ita praeparatus est ac ciuitas ad propellendam aliorum iniuriam, et si vel auertendae laesione gratia, aggressorem praevenire, vel iam acceptam vlcisci velit, accidere potest, ut ob virium defectum fortiori cedere suumque ius non persequi coactus sit. At ciuius temporarius, siue is, qui commeretur alias rei causa ad tempus in ciuitate quadam, cui tanquam membrum non est adscriptus, commoratur, iisdem subiicitur incommodis, quae laedens secundum ius naturae, non considerato ciuili nexu, ferre tenetur. Itaque opus non est, ut principiorum, quae de iuribus et obligationibus, de iusto et injusto nec non de statuendis poenarum malis in peregrini patria obseruantur, ratio habeatur. Exinde peregrinus in aliena ciuitate cum quae iniuriis adnumerantur, fugere, tum, perpetrata illicita actione, pati debet, ut secundum



dum assunta ibi de necessitate leuium vel grauium poenarum  
pracepta contra eum ius dicatur. Nihilosecius tamen casus  
incidere possunt, vbi iuris inuincibilis ignorantia peregrino  
non imputetur. Quae quidem res cum huc non pertineat,  
ad modum agendi, quem legislator in peregrinum eius legi-  
bus non conuenienter agentem exhibeat, transgrediamur.  
Duplex autem exoritur quaestio: vtrum ciuius temporarius,  
postquam alibi crimen commiserit, in ciuitate quadam com-  
moretur, an iste in eadem ciuitate, vbi nunc degit, delique-  
rit? Prius decidendi ratio quibusdam sane laborat difficulta-  
tibus. Quarum quidem explicatio cum nostri libelli fines ex-  
cedens huius loci non sit, tantummodo de eo casu, si pere-  
grinus apud nos se criminis cuiusdam reum fecerit, agatur.  
Hic, posthabit, id quod superiora demonstrant, patriae sua  
legibus, secundum ciuitatis, vbi crimen admisit, normam pu-  
niendus. Legislator enim muniens poena legem, non nisi hoc  
malum et iustitiae conueniens, et ad deterrendos a malefacto  
subditos efficax esse putabat. Idque profecto de quavis lege,  
licet casus existere possint, vbi poena fini proposito et iusti-  
tiae parum conueniat, praesumendum. Praeterea quoque  
raro fit, vt extero cuidam ob indolis atque totius omnino  
vitae diuersitatem leges ciuitatis, in qua nunc viuat, non con-  
gruant. Qua de re legislator, ne sibi ipse contradicat, ci-  
uem et peregrinum vna eademque poena afficiat. Princeps  
enim lege, cui certam poenam annexit, declarat, quanam  
optima atque necessaria ciues ab illius laesione auocandi via  
esse videatur, <sup>libet</sup> perbiue persuadere, aliis generis poenam aut  
obtinendae securitati non satis infernire, aut iusto grauiorem  
plus incommodi quam commodi in rem publicam conferre.  
His si quidam non fauens statuat, delicta ciuium temporario-  
rum alienis risque diuersis v. c. domicili legibus aestimanda  
esse,

esse, duplex inde oriretur iniuria. Primum quidem, si leges patriae mitiorem, quam aliena ciuitas, vbi quis deliquerit, poenam statuant, leviorique hic afficiatur, legislator sciens haud sufficiens ad securitatem tuendam remedium usurparet, atque ideo ciuitatem in discrimen adduceret. Hoc nulla excusari ratione posse, e superioribus patet, secundum quae, non habita iniusti aggressoris ratione, laesum maxime consentanea ipso ad tuendum visa eligere decet subsidia. Deinde vero, grauiore e peregrini patria depromta poena, quam ipse legislator subditis suis minatur, hic iniuriam contra exterum committeret. Conceptam enim de eligendis securitatis obtinendae remedii opinionem non secutus defensionis malum praeter necessitatem augeret. Iura vero laesi in laudentem secundum status naturalis leges non ulterius sunt extendenda, quam securitas necessario postulat, illoque se incolorem satisque securum habente, omne contra hunc ius statim evanescit. Quodsi igitur quis laudenti grauius intulerit malum, quam quod necessarium credidit, ipse iniusti aggressoris sustinet personam. Extra omnem igitur dubitationis aleam positum est, ciuem temporarium secundum leges ciuitatis, vbi deliquit, esse puniendum, nisi forte ab illius membris adeo differat, ut poenae, quibus hi affici solent, ipsi plane non convenient.

*Quomodo usus fori cum explicitis conspiret principiis.*

Disquirentibus nobis, an traditae adhuc sententiae iuris positivi auctoritate stabiliantur, haud paucæ istius leges tanquam nostræ opinioni fauentes sese offerunt. Sicuti enim e Latio in Germaniam translata, ita huius ipsius quoque iuria disertis verbis illa de re praecipiunt. Scilicet in vtriusque tabulis relatum legimus, quemcunque aduenam secundum leges regionis, vbi delicti se reum fecerit, esse coercendum. Iuris Romani vero leges nostris, dum his antiquitate praestant, praemittere liceat. Primo quidem hic afferri merentur *VLPIANI*) verba: seruos ibi puniendos, vbi delinquisse arguantur, dominumque eorum, si velit eos defendere, non posse reuocare in prouinciam suam, sed ibi oportere defendere, vbi deliquerint. Huic associanda est *CALLISTRATI*) sententia: famosos latrones in his locis, vbi grassati sint, furca figendos, compluribus placuit: vt et conspectu deterreantur alii ab iisdem facinoribus, et solatio sit cognatis et affiniibus interemitorum eodem loco poena redditâ, in quo latrones homicidia fecissent. Quin legum Romanarum ratio evsque progreditur, vt poenae euitandæ cauſa loca peregrina potius iudicii eius ciuitatis, in qua delictum admiserit, reddi iubeat. Huius rei locuples testis est ipse *IUSTINIANVS*, ) qui asserit:

- a) L. 7. §. 4. π. de accusat.
- b) L. 28. §. 15. π. de poen.
- c) Novell. 134. C. 5.

asserit: Si vero quis comprehensorum criminum latuerit, aut reliquerit prouinciam illam, in qua crimina deliquit: et si non obediatur, illa in eum procedere, quae nostris legibus definita sunt. Si vero cognoscatur, quod in alia prouincia de-  
git, iubemus prouinciae illius iudicem, in qua peccati quid huiusmodi contigerit, epistola vti ad prouinciae illius iudi-  
cem, in qua delinquens persona degit; illum vero, qui pu-  
blicas suscepit litteras, et periculo suo et officii sui com-  
prehendere huiusmodi et ad iudicem prouinciae transmittere,  
in qua peccauit, suppliciis legitimis subiiciendum. Ex his  
omnibns liquet, gentem Romanam reos ad forum delicti com-  
missi transmittendos curasse. Hicce vero mos necessario de-  
siderabat, vt iudex, cui ab extraneo poenas sumendi facta  
erat copia, praescriptam ipsi ius dicendi normam obseruaret.  
Vana igitur spe illuderetur is, qui crederet, se, cum in pere-  
grinis terris peccauerit, secundum patriae vrbis leges puni-  
tum iri. Has vero iuris Romani sanctiones a maioribus no-  
stris acceptas esse, veteres Saxonum leges forique vissus testan-  
tur. Quod vt pateat, ipsa iuris vtriusque verba in promptu  
sunt. Iuris prov. Saxon.<sup>4)</sup> tenor est hic: *allerley Klagen und Ungericht mag der Richter wohl richten, binnen seinem Gericht, wo er es ankommt.* Eadem quoque perhi-  
bet Ius prov. Alemann:<sup>5)</sup> *allerhand Klag und alles Ungericht mag der Richter, der den Barn hat, wohl gerich-*  
*ten.*

d) L. I. art. 59.

❖ ❖ ❖

*ten, was in seinem Gericht ist.* Vtraque sanctio non generali solum, quae iure Romano continetur, proponit regulam, sed in viuierum quoque cuius iudicii in fugam capientis delictum, nulla ciuitatis, cuius membrum se profitetur, atque loci, in quo peccauit, habita ratione, inquirendi facultatem largitur. Licet vero haec ex parte ius nostrum latiori quamdam, quam ius Romanum iudicibus tribuat potestatem, eorum tamen, remittendi delinquentis ratione, illud prae iure Romano restringit imperium. Quando enim diversi iudices in eodem constituti sunt territorio, in huius autem legibus nulla transmittendorum reorum facta sit mentio, neuter apprehensum delinquentem remittere tenetur. Idem quoque locum habet, si iudex deprehensionis pariter atque delicti diuersis subsint territorii dominis. Cum iuris Romani vero ac nostri placitis usum fori congruere, ILLVSTRIS WIESANDVS,<sup>f)</sup> quem honoris causa nomino, auctor est, cuius verba ita se habent: Cum vero omne delictum consistat in violatione legis penalnis, ad quam obseruandam quis fuit obligatus, facile inde colligitur, poenam esse aestimandam iure eius loci, ubi delictum fuit perpetratum. Usus huius regulae omnes agnoscunt facile, si in foro deprehensionis non aliud ius, quam in foro delicti obtineat. Dolendum modo, quod plures iureconsulti spurias atque ab exhibito procedendi modo plane alienas afferant rationes. Illi enim, quos deinde adducam, orientem e pactis obligationem supra expressitae

f) Obseruat. iur. crim. sp. V. p. 10.

positae delinquentes puniendi normae caussam esse iurique Romano conuenire opinantur. Huic sententiae addictus est SCHILTER<sup>2)</sup> in Exercitationibus, vbi verba leguntur haec: Certe omne delictum continet in se aliquem quasicontractum sive tacitam et a lege praesumtam obligationem, ad rei damni restitucionem, per legem illam naturae: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. SCHILTERO suffragatur MENCKEN,<sup>3)</sup> qui sequentia nobiscum communicat: Frustra quoque forensis poenae, quae est in loco delicti, se subtrahere conatur, cum ipso facto illico se simpliciter ad poenam illic sustinendam obstrinxerit. Quam quidem opinionem admodum esse vanam atque reprobandam, Illustris Wielandus<sup>4)</sup> luculenter edocet. Neque praetermittenda sunt aliae rationes politicae, quibus commotus ille reos in foro delicti commissi puniendos esse censet. Re quidem ad utilitatis lancem perpensa, intelligimus, eos, qui in regione quadam delicto sese alligauerint, ibi plectendos esse propterea, quod, quae in loco perpetrati delicti sancta est poena, ea ad laesam illorum facinoribus securitatem iterum corroborandam plurimum conferat. Huc accedit, quod eo in loco, vbi quis ab extero homine damnum perpeccius est, expeditior ad detegendum huius crimen via patescat. His praemissis, constat, in foris nostris a norma in

C 3 castigan-

<sup>2)</sup> Exercit. ad π. XXIV. §. XLVII.

<sup>3)</sup> Systema iur. civil. sec. π. Libr. 48. T. 19. §. 10.

<sup>4)</sup> loc. laud. p. 7.

❧ ❧ ❧

castigandis peregrinorum delictis secundum ius criminale vniuersale obseruanda in vniuersum non recedi.

§. 5.

*In uno tanto casu usus fori a iure Romano nostrisque principiis abhorret.*

Reperiuntur, qui iuris Romani axioma, cui fouemus, recipere dubitent. Quidam ex iis regulam istam in puniendis, quae leges statutarias afficiunt, delictis cessare statuunt. Huc praecipue pertinet id, quod KOCHIVS<sup>a)</sup> in iuris criminalis institutionibus suppeditat. Ibi enim deprehendimus haec: Delictum aliquod vel iure communi in criminum numero ponitur, vel illud nonnisi iure particulari pro delicto habetur. Si posterius, delictum illud extra locum commissi delicti puniri nequit, nequidem tunc, si in loco domicilii, aut deprehensionis, aequo delictum habetur. Eadem ipsa vero sententia cum ab ILLVSTRI WIESANDO<sup>b)</sup> iam satis explicata et refutata sit, vsuque apud nos destituatur, nostra parum refert. Alii tum demum iuris Romani praeceptum respiciendum non esse, sibi persuadent, si leges loci, in quo quis sedem fortunarum suarum fixit, ei mitiorem, quam fori sanctiones, vbi sceleris se participem reddidit, poenam irrogent. Hanc tanquam communem exceptionem forum agnoscit.

<sup>a)</sup> Institut. iur. Crim. Libr. I. c. 6. §. 94.

<sup>b)</sup> loc. laud. p. II.

HOMMELIVS<sup>c)</sup> hac de re loquitur ita: In criminibus spectamus leges loci, vbi delictum commissum, si istae mitiores sint; contra autem si sint duriores, spectamus iura loci, vbi accusatur. Conferendus quoque KOCHIVS,<sup>d)</sup> qui sequentia prodit: Interim, si lenior poena, quam iure communis definita est, in loco siue delicti commissi, siue in loco inquisitionis obtinet, poena iuris communis moderanda est. Idem et PÜTTMAN-NVS:<sup>e)</sup> Alii contra reum secundum leges loci, vbi delictum admisit, puniendum esse contendunt, cui sententiae nos quoque subscribere haud dubitamus, hac tamen addita exceptione: nisi in loco, vbi reus domicilium habet, aut caussa agitur, mitior poena, quam in loco delicti commissi, obtineat. Quod cum vbique apud nos obseruetur, ea in re profecto fori nostri vsus iuri criminali vniuersali aduersatur. Perpendentes enim competentem hominibus, antequam in ciuitatem coalefcant, eos, qui iniurii fuere, malo, quod illis lumbet, afficiendi facultatem, eamque vna cum multis aliis iuribus, inita societate, huius moderatori esse commissam, rei istius rationi illam tanquam vnanimi consensu receptam regulam respuere intelligimus. Neque in dubium vocari potest, quin is, qui ciuitati praeest, hanc, istam obseruando, in discrimen adducat. Nam cum legislator necessariis iisque admodum congruis poenis a legum suarum violatione alios

deter-

c) Rhapsod. obs. 281.

d) Institut. iur. crim. Liber I. c. 6. §. 94.

e) Element. iur. crim. Libr. I. c. 2. §. 88.



deterre credatur, in aprico est, eum, si alienae ciuitatis puniendae normae obtemperare velit, sibi repugnare, legumque, quas sanxerit, atque ipsius societatis, quam regat, securitatem, poenis haud sufficientibus sponte disturbaturum esse.

A detailed woodcut-style illustration of a stylized tree or vine with intricate foliage and flowers, centered on a page filled with dense Latin text. The illustration features a central, slender stem with various branches and leaves, some resembling hands or fingers. The background consists of dense, flowing Latin text.


182. *Immelman and Smith* (1982) found that the mean age at which first offspring were born was 2.5 years.

ULB Halle  
004 334 728

3







VTRVM ET QVATENVS FORI NOSTRI  
VSVS IN PVNIENDIS SVBDITORVM TEM-  
PORARIORVM DELICTIS, SI QVAE APVD NOS  
COMMISERINT, CVM PRINCIPIIS IVRIS CRI-  
MINALIS VNIVERSALIS CONVENIAT,  
NEC NE?

ILLVSTRIS AVRECONSULTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE

P R A E S I D E  
D. CHRISTOPH. CAROLO  
S T V E B E L

DIE XXV. JANVARII CIOCCXCIII.

H. L. Q. C.

P V B L I C E D I S C V T I E T

AVCTOR  
FRIDERICVS AVGVSTVS VOLDEMAR IACOBI

NEOSTADIENSIS AD ORILAM.

WITTEBERGAE,

LITTERIS ADAMI CHRISTIANI CHARISII.